



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Lvcae Pinelli, Societatis Iesv Meditationes De  
Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, Et præparatione ad  
sacram communionem**

**Pinelli, Luca**

**Coloniæ Agrippinæ, 1603**

Historia De Exeqviis & sepultura Mariæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59560](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59560)

*nam habens de caelo, nam ubi mortuus fueris, anima tua non perueniet in caelum.*

HISTORIA DE EXEQVIIS  
& sepultura MARIÆ.

**C**UM Maria expirasset, Apostoli sacrum corpus è lectulo deposuerunt, decemque vestitum & compositum in feretro collocarunt. a Nicephorus ait multos accurrisse cœcos, surdos, & alios vitiatos membris, qui solo corporis sacri contactu sanitatem recuperariunt. Postea instituta est processio. Quidam Apostoli antedebant cum luminibus, alii deportabant feretrum, omnes autem hymnos decantando tendebant in Gethsemani ubi illa optarat sepeliri. dem auctor, & alij addunt, toto itinere illo in aere conspectam magnam angelorum turbam, quæ beatum Reginæ suæ corpus comitabatur. Narrat adhæc Iudæum quendam ex ordine Sacerdotum odio & inuidia æstuantem, tam temerarium fuisse, vt impetum fecerit in feretrum, vt illud deijceret in terram, sed illic à Deo punitum, manus enim eius à brachijs reuulsæ, pepedere ex feretro. Quo miraculo conspecto miser subito doluit, & cum lacrymis veniam postulauit. Itaque mandato B. Petri processio substitit, & Iudæo cum reuerentia ad feretrum applicato nouo miraculo manus sunt restitute.

*a Eccl. hist. l. 2. c. 22.*

*b And. Croten. in ora. de assump. B. Virg. Damas. in ora. de dor. & assump. Deip. Can. de B. Mar. l. 5. c. 30.*

PVN-



## PUNCTA MEDITATIONIS.

1. CONTEMPLARE, quomodo sacrum D. Virginis corpus, simulatque animam emisit, Apostoli cum magna reuerentia, sed non sine lachrymis cōposuerint vt ad sepulcrum deferretur. & debitæ tali Dominæ exequiæ præstaretur.

2. CONSIDERA deinde profectionem, qua sanctum Dei tabernaculum fuit ab Apostolis delatum ad sepulchrum; comitante ingenti fidelium cœtu, ac per omnes vias sacros hymnos decantante.

3. Contemplare, vt ad locum peruentum est, post exequias celebratas sacrum illud & virgineum corpus ab omnibus reuerenter & deuotè fuisse exosculatum, & postea honorificè tumulatum.

## DOCUMENTA.

1. Fili, hinc discere modum Christianas instituendi exequias, ac primò vt ne superuacaneos sumptus profundas, maxime in res qua animam defuncti non iuuant, & viuorum vanitatem alunt.

2. Nec immoderatè mortem aliorum desideas sed pro anima eorum ores.

3. Exequias loco diuina admonitionis usurpare debes, vt ad bene moriendum te compares.